Haec erat ordinatio hierarchica in dioecesi nostra cleri saecularis; ad pietatem vero promovendam angendumque cultum divinum multi hoc tempore venerunt ordines religiosi benigneque a regibus, eppis, et optimatibus suscepti et larga manu ditati. Sicut enim eppi et reges ita et optimates nostri multis deplorabilibus excessibus novatorum et rebellionibus factiosorum edocti in unitate fidei catholicae et in disciplina ac pietate hierarchica et monastica, non solum viam ad animarum salutem, sed et ad pacandas lites praescindendasque rebelliones, viderunt. Omnibus itaque viribus dilatationi fidei catholicae cooperabantur, construebant ecclesias et monasteria, vel ea ab haereticis rapta recuperabant, bonis et privilegiis in comitiis laudatis ditabant. Plebei vero corde

et animo sicut ecclesiae catholicae, ita patribus spiritualibus et praecipue monachis adhaerebant cosque speciali favore prosequebatur. Videbant enim in sacerdotibus et monachis catholiceis non artifices artem tuam pro pane exercentes, non patres familias uxoribus et proli procreandae devotos; sed apostolorum sectatores, omnia omnibus factos et praecipue illud apostolicum dictum praeseferentes: „qui sine uxore est, cogitat quae Domini sunt et quomodo placet Domino“: et in similitudinem apostolorum relitto patre, matre, sorore et uxore, servitio Dei devotissimos.

Unde et clerus gratissimus erga populum devotissimum et matrem rempublicam munus sororum Mariae et Marthae in se suscepit: necessitatibus que eius tam spiritualibus, quam et temporaneis providebat et medebatur; concordiam et pacem fovebat, coram malis ingruentibus praecavebat, in cladibus salutem reipublicae propugnaturus praecedebat agmina equitum et benefactorum. Itaque, quod in optimatibus amor patriae in plebeis filialis gratitudo piissimaque devotione, in omnibus intima meritorum et virtutum recognitio, amorem sincerum erga clerum peperit.

His sub auspiciis per totam superficiem nostrae dioecesis et provinciae ortae sunt ecclesiae parochiales et claustrales atque monasteria. Cum origo ecclesiastiarum parochialium in elenco directorii indigitata sit, hic apponimus seriem ordinum regularium et monasteriorum olim in nostra dioecesi (in praesentibus limitibus) conditorum, ac dein XIX saeculo super presorum una cum scholis catholicis 1832—1864 a.

1) **Augustiani** Vilnae fundatio civium Vilnen. 1674, suppressi 1852; Brestiae Lit. Vitoldiana 1389—1831.

2. **Benedictini** Trocis Vet. Vitoldiana 1415—1832.

3. **Bernardini** Vilnae Casim Jagiellon. 1492—1864; Grodnae Sigism. III. 1595—1858; Bienicae Mich. Kociell 1701—1851; Brestiae Lit. Sigism. III 1590—

1831; Budslaviae Alex. Jagiellon. 1504—1858; Druiae Leonis Sapiehae 1646—1850; Iwiae Kiszkorum 1631—1857; Neo Trocis Alberti Gasztoldi 1522—1845; Słonimi Andreae Radwan 1630—1832; Wołożyni Joseph Shuszko 1653—1860.

4. **Bonifratres** Vilnae Abrah. Woynae ep. Viln. 1635—1866; Grodnae ep. Viln. Pancerzyński 1728—1843; Wysokie Lit. Alex. Sapieha 1785—1840.

5. **Carthusiani** Beresae Leonis Sapiehae 1650—1832.

6. **Canonici Regular.** Lateranenses Vilnae ep. Wołowicz 1625—1664; Krzemienicae Wolskiorum 1620—1832; Słonimi Sapiehana 1653—1843.

7. **Canonici Regul.** de Poenitentia Vilnae Zalomajorum 1644—1865; Bystrzyce Jagiellonis 1390—1525 Gliniciscis Pietkiewicziorum 1775—1810; Michaliscis Brzostowikii 1622—1832; Miednicis Jagiellonis 1391—1832; Widzieniscis Giedroyciorum 1618—1832; Twereziae Nicolai Wargellonis 1490—1832. Mioris Sebast. Mirski post. a. 1650 — 1832; Podbrzezie post. a. 1650—1832.

8. **Carmelitae discalceati** Vilnae Christoph. et Steph. Paciorum; Grodnae Kotowicziorum 1676—1845; Główkowie Josephi Korsak 1639—1861; Gudohais Woynorum et Koziellorum 1763—1832; Miadzioli cum calvaria Koszycii 1754—1832; Poszumieni 1818—1832.

9. **Carmelite antiquae observaniae** Vilnae Chłudziński Woit. 1620—1835; Koleśnicis Kuncewiczi Konst. 1707—1832; Krupczycis Nestorowiczi 1706 — 1850; Lidae Narbuttorum 1672—1832; Taboriscis Ważyńskiorum 1770—1832; Slobodkae Bielinowiczae. 1710—1850; Zaświri Zenowicziorum 1714—1864 cum residentia Szemietowi; Zoludek Frąckiewiczi 1686—1832.

10. **Dominicani** Vilnae Alex. Jagiellon. 1501—1844; in Łukiscis Goorg. Chreptowicz 1682—1844; Grodnae Sapiehana 1663—1833; Brestiae Soph. Buchowiecka 1635—1831; Buchowicziis Puchalski 1676 — 1832; Choroszczae Steph. Pac et Branickii 1654—1832. Dereczyjni Polubinsciorum 1618—1832; Druiae Kaczanowskii

1706 — 1832; *Jelnae seu Bielicæ Mariae Odachowska* 1667 — 1833; *Klimowiciis* 1760 — 1832; *Koniuchis* Teres. Scipionis 1740 — 1832; *Mereciae Stefaniwiczzii* 1606 — 1832; *Neo Trocis Sigism.* III 1590 — 1864; *Ostrowiæ Corsakowiana* 1684 — 1832; *Oszmianae Poczobuti* 1667 — 1850; *Poporcis* Stanisl. Beynart 1649 1864; *Piaskis* Casim. Sapieha 1685 — 1788; *Rožanostoci Felicis Tyszkiewicz* 1600 — 1845; *Slonimi Pokroszynskii* 1680 — 1845; *Szumscii princ. Szumsiorum* 1697 — 1861; *Wasiliscis Limonti* 1652 — 1832; *Wercis* ep. Białozor 1664 — 1844; *Wysoki Dwor Laczkii* 1629 — 1832.

11 **Franciscani Vilnae** Gastoldi 1336 — 1864; *Grodnae Eustachii Kurez* 1635 viget; *Dorohiczyni Orzeszko Michaelis* 1749 — 1832; *Drohiczyni* initio XIII s. ditati a Vitololo 1409 — 1831; *Dzisnae Chełchowskiorum* 1630 — 1832; *Gelwanis Siesickiorum* 1686 — 1832; *Koltynianis Narbuttii* 1633 — 1832; *Lidae* 1366 ditati a Vitoldo 1397 — 1832; *Łopienicae Ogińskiorum* 1682 — 1832; *Norwiliscis Szorciorum* 1617 — 1832; *Olszanis Pauli Sapiehae* 1618 — 1832; *Olkienicis Chaleckiorum* 1650 — 1832; *Oszmianae* vet. Alex. Jagiellon. 1505 — 1845; *Postawis* Stan. Biegański 1617 — 1832; *Prozorocis Justini Szczytt* 1697 — 1832; *Swistoczi Helena Tarlo* 1705 — 1833; *Szeybakpoli* Alexandrowicziorum 1737 — 1832; *Udziali Josephi Korak* 1642 — 1851;

12 **Mariani Rasnae** Georgii Matuszewicz 1744 — 1864; *Miroslavi Ważynskiorum* 1763 — 1864.

13 **Missionari Vilnae** Theoph. Plater 1695 — 1844; *Bialostoci Ioannis Branicki* 1777 — 1844; *Gliniciscis Jelensiorum* 1810 — 1832; *Łyskowi* Mathiae Kłoczko 1751 — 1832; *Siemiatycziis Michaelis Sapiehae* 1719 — 1844; *Smolinisci Nicol. Jankowski* 1808 — 1844.

14 **Pp. Scholarum Piarum.** *Vilnae* ep. Brzostowii et Ant. Sapiehae 1722 — 1842; *Drohiczyni* can. Swinołęcki post. pp. Jesuitas 1774 — 1832; *Duksztis* 1772 — 1832; *Lužcis* castell. Žabae 1741 — 1832; *Lidae* Ign.

Seipionis 1756 — 1832; *Szczuczyni Józefowicz et Scipionor.* 1718 — 1832; *Werenowiae seu Błotnae Ioan. Scipionis* 1735 — 1756 transl. Lidam.; *Zelwvae* 1740 — 1832.

15) **Trinitarii Vilnae** Casim. Sapieha 1693 — 1864, *Trinitopoli* ep. Brzostow. 1701 — 1832, *Brestiae Ozięblowskii* 1737 — 1831; *Krzywiciis* Ukolskior. 1771 — 1832 et *Molodecznae Oginskior.* 1762 — 1832.

16 **Paulini.** *Vilnae* Casim. Pociey 1727 — 1759.

17 **Reformati.** *Boćkis Ios.* Sapiehae 1720 — 1832.

18 **Rochitae,** cum hospitali et capella *Vilnae* Ioan. Jarosławowicz 1705 et presb. Lutkiewicz 1712 — 1798, quo Caunam eggredi sunt.

Ordines monialium.

19 **Benedictinae.** *Vilnae Horodyskiorum* 1622 Viget; *Drohiczyni* palat. Niemirae 1560 — 1832; *Slonimi Annae Przechawska* 1669 — 1830.

20 **Bernardinae.** *Vilnae* citra fluvium Vilna (na Zarzeczu) monialis Barbarae Radziwillowna 1495 — 1864; ad eccl. S. Michaelis Leonis Sapiehae 1594 — 1885; *Grodnae* dotibus monialium et Sapieharum 1621 — 1833; *Brestiae* Lit. Kopejorum 1624 — 1831; *Slonimi* Judyckiorum et Komarowskiorum 1645 viget.

21 **Brigidae** *Grodnae Wiesiółowskiorum* 1643 viget; *Brestiae* Lit. Pocieyorum 1645 — 1831.

22. **Carmelitanae** discalc. *Vilnae* Steph. Pacii 1638 — 1865.

23 **Dominicanae** *Vilnae Połubińskii* 1678 — 1748.

24 **Mariavitæ** *Vilnae* presb. Tureczynowicz 1740 — 1799; *Slonimi Domańskii* 1743 — 1850.

25 **Sorores Charitatis** *Vilnae* ad hospit. Sawicz ep. Gosiewski 1744 — 1867; ad orphanotroph Infantis Jesus Haedwig. Ogińska 1787 — 1864; ad Beneficentiam et hosp. S. Jacobi ep. Kossakowski Ioan. 1807 — 1864; *Szczuczyni* Scipionorum 1712 — 1867; *Bialostoci* Ioan. Branicki 1768 — 1864; *Ciechanowci* Teres. Ossolińska 1788 — 1864.

26 **Visitationis B. Mariae V. Vilnae** Annae Dezelskowiae 1694—1865.

27 **Patres Basiliani Vilnae** Sigism. III 1590; *Grodnae*—XVI s.; *Antopoli* Wołłowicz. 1718 — *Beresveci* Jos. Korsak 1620; *Borunis* Pieślak 1691; *Brestiae Lit.* metropol. Weliamin. Rutski 1629; *Byteni Tryznæ* initio XVIII s.; *Chomsk.* Carol. Dolski 1678; *Czerlonæ Sapehæ* in. XVIII s.; *Kassutæ* Jos. Perzyński 1747; *Kobryni* Princ. Kobrynen. 1497; *Lyskowi Bychowcii* XVI s.; *Postawis* Biegañsciorum 1744; *Rosanæ Sapehæ* 1771; *Suprašli* Alex. Chodkiewicz 1533, filia *Kuźnica*; *Sutkowi-ignota*; *Torokanis* Leonis Kiszkæ in. XVIII s.; *Żyrowicis* Leonis Sapehæ et Mieleszkiorum 1613.

28 **Moniales Basilianae Vilnae, Grodnae et Miazdioli.** Omnia monasteria S. Basilii ab a. 1830—1839, vel suppressa, vel ad ritum heterodoxum conversa sunt.

Ad instruendam inventutem statum regularem aspirantem existebant novitiatus: *Vilnae* Augustianorum, Bernardinorum, Canonicorum utriusque regul., Carmelitar. utriusque regul., Dominicanorum, Franciscanorum, Missionariorum, Pp. Scholar. Piarum et Trinitariorum; item in provincia: *Grodnae* Bernardinorum et Dominicanorum; *Glebokie Carmelitarum*; *Beresae Carthusianorum*; *Druiae Bernardinorum*, eorundem *Iwiae Stonimi* et *Troci*. *Dereczyni et Poporeciis* Dominicanorum; *Olszanis Franciscanorum*; *Krzemienicae* Can. Regul. Lateran.; *Wistycæ Cisterciensium*; *Widziniscis* Can. Reg. de Poen. *Rasnae Marianorum*:

Basiliani: *Vilnae*, *Berezveci*, *Byteni*, *Sutkowi*, *Torokanis*, *Suprašli*, *Żyrowicis* et *Chomsk.* Praeter scholas claustrales monachi sustentabant etiam et dirigebant scholas publicas succursales academiae et elementares: Carmelite Glębokie; Canonici Regul. Later. Krzemienicae, Dominicani Grodnae gymnas. et Choroszczæ element.; Franciscani Koltynianis

et Olkienicis elem. Missionarii Białostoci cum sem. dioec. Mohylov. ab. a. 1820, *Lyskowi*, Siemiatycziis et *Vilnae* cum sem. dioec. parvo ab. a. 1744: Pp. Scholar. Piarum Vilnae, Geranonis, Drohiczyni Lidae, Lužcis, Zelwae Szczuczyni et Werenowiae. Trinitarii Mołodecznae et Krzywiciis. Basiliani Beresveci, Borunis, Torokanis et Żyrowiciis, item Postawis, Kobryni et Antopoli.

Pro educandis puellis existebant scholæ: Vilnae monialium Benedictinarum, Bernardinarum, Visitationis, Basiliyanarum item et pro pauperibus Mariavitarum et Sororum Charitatis; Brestiae Lit. Brigidarum et Bernardinarum; Słonimi Bernardinarum et Benedictinarum, Grodnae Bernardinarum, Szczuczyni Sororum Charitatis.

Quodlibet monasterium continebat bibliothecam claustralem, in qua libri pietatis et scientiae una cum manuscriptis privilegiis et dotationibus nec non chronicis asservabantur; harum bibliothecarum notabiles erant Vilnae: Missionariorum, Pp. Scholar. Piarum, Bernardinorum, Carmelitarum utrisq. reg. Dominicanorum, Franciscanorum, Canonicor. Regul. Lateran., Trinitariorum, monialium Visitationis, Benedictinarum et Bernardinarum; Grodnae Dominicanorum Bernardinorum et Carmelitarum discalceator.; Szczuczyni Pp. Schol. Piarum; Beresae Carthusianor.; Dereczyni Dominicanorum; Olkienicis Franciscanorum, Rasnae Marianorum; Vet. Troci Benedictinorum; Wistycæ Cisterciensium, Bockis Reformatorum, Lidae Pp. Schol. Piarum, Lužcis eorund. Poporeciis Dominicanorum; Brestiae Augustianorum; Słonimi Bernardinorum et Dominicarum; Iwiae eorund; Olszanis Franciscanor.; Krzemienicae Can. Reg. Later.; Rosanostoci Dominicanorum; Mołodecznae Trinitariorum, Miadzioliae Carmelitarum Lyskowi Missionariorum; Glębokie Carmelitarum, Rasnae Marianorum etc. Notabiliores vero typographiae fuerunt Vilnae: Jesuitarum, Missiona-

riorum, Pp. Schol. Piar. et Basiliatorum, item Grodnæ Jesuitarum, Supraslii Basiliatorum etc.

Ad institutionem vero plebeorum et iuuentutis pauperæ permultæ erant scholæ parochiales, quarum numerus initio XIX s. efficiebat: Vilnae 11, in decanatu Vilnen. 11, Lidensi 14, Oszmianensi 7, Zawilejscensi 12, Swirensi 8, Nadwilejscensi 4, Dzisnensi 6, Wiszniewiensi 5, Trocensi 8, Merecensi 6, Grodnæ 2; in decanatu 10, in dec. Rosanensi 7, Pružnensi 3, Słonimensi 7, Kobrynnensi 4, Wołkowyscensi 11, Sokoleensi, Bialostocensi et Bielscensi ultra 20, quarum ampliores Knyszyni, Siemiatyczi et Kleszczelis. Scholæ haec cum solidas persaepe fundationes non haberent, et a parochis sustentarentur et a iuventute subdita optimatibus visitarentur: a bona voluntate magistrorum et haeredum dependebant; acceditibus vero diebus infiustis belli, famis et pestis, aut contraria voluntate haeredum impedientium pueros subditorum visitare scholas: vel ad tempus claudebantur, vel penitus suppressabantur; donec tandem supremum ius comitiorum medio XVIII saeculo cum adiumento episcoporum certum ordinem et sustentationem hisce scholis indicavit.

Ipsa enim auctoritas ecclesiastica, quam in erudiendis, tam et in liberandis plebeis iugo servitutis oppressis parum praestare potuit; quia in his conatibus semper sibi oppositos haeredes et dominos videbat; hi enim in quolibet conamine alleviandi sortem suorum subditorum machinationem in suas libertates et iura dominii suspiciebant. Suspicionem hanc adeo provexerunt, ut etiam nemini liceret consignare nomina et numerum subditorum et parochis statum animarum confidere. Sed clero patuit libertas proprios subditos educare et liberare; et si clerus non omnia quae potuit adimpleverit; tamen conditio subditorum ecclesiasticorum multo erat faustior et tutior. Subditi cleri minoribus laboribus et censu opprimebantur, infantes eorum poterant visitare scho-

las parochiales; et si habiles ad studia aut artes inventarentur, ulterius promovebantur libertateque dabantur. In bonis episcopalibus et capitularibus vidi mus etiam hospitalia, apothecas, et chirurgos pro curandis aegrotis, scholas et rectores pro erudiendis infantibus. In casu vero iniuriarum ex parte administrorum, seu oeconomorum, subditis recursus ad suos dominos patebat. In sessione capitulari die 10 Aprilis a. 1604 cautum fuit, ne administratores bonorum episcopalium et capitularium subditos laboribus et vectigali nimio aggravarent, liceretque subditis adire suos dominos et conqueri coram capitulo, vel episcopo, adversus suos oppressores. Inde exiit, ut iniuria ti plebei non solum suos dominos appellarent, sed cum iurisdictione in temporaneis capitulo esset separata a iurisdictione episcopi, subditi capitulares recursum haberent ad episcopum et vice versa: si eorum domini preces suas neglexerint. Sic potestas cleri in plebeos non erat arbitraria et despota; sed foro et auctoritate extraneae iurisdictionis moderata.

Ceterum imminebant subditis cleri, praeter communia flagella, incursionses et spoliations militum reipublicae, quibus bona ecclesia apprime plauerunt. His spoliationibus et rapinis occurrens clerus contributiones hibernas, sen subsidium charitatum, ad sustentandos milites hiemali, tempore, ex proprio aerario persolvebat, quod tributum dein paulatim a subditis seligebat. Etiam et in suis iurisdictionis urbanis episcoci et clerici incolas et subditos patrue tractabant, artifices et fabros tutabantur et continuis fere fabricis ecclesiae cathedralis et domorum; non solum magistros artium Italos et Germanos, sed et suos indigenas fabros sustentabant iisdemque occasionem artis ediscendae occasionem praebebant. Si quae crimina inter incolas vel subditos acciderint, ea poenis ecclesiasticis et verberatione castigabantur, in casu vero poenae capitalis reus ad tribunalia secularia remittebatur.

Ampla et vasta erat vinea Dominini laboremque strenuum et indefessum exigebat. Non defuerunt et in hac periodo in capitulo Vilnensi viri gravi consilio, scientia virtutibusque eximii; et quidem: Nicolaus Dicius, orator eruditissimus, Melchior Heliaszewicz ep. Samogit., Ioannes Bialozor, vir praeter Deum et studia nil sciens, quique super ianuas domus suae psalmistae inscripsit adagium: „providebam Dominum in conspectu meo semper“; porro Hieronymus Lubartowicz princeps Sanguszko, Martinus Żagiel, Woitechus Żabinski, Stanislaus Nieborski, Gothardus Tyzenhaus, orator et scriptor ingenuus; Martinianus Tryzna Ruthenus philosophus et politicus subtilis, Martinus Szule architecto, Franciscus Dolmat Isaykowski et multi alii, qui non solum dignitate, sed et scientia, morum candore et liberalitate in pia opera clero praeibant. Ut corum auctoritas etiam in facie ecclesiae emineret eppi Viln. et praecipue Tyszkiewicz curarunt eos togis rubeis, ad instar capli Cracoviensis condecorari, quod privilegium a sede aplica confirmatum hucusque servatur. At non solum in ecclesia et in clero, sed etiam inter senatores reipublicae, qua legati capituli, canonici magna pollebant auctoritate: iam in comitiis de salute patriae deliberando, iam reges eligendo. Unde sanctionibus capituloibus praecaustum erat, ne quis alienigena, vel homo plebeae et vilis conditionis, excepto canonico theologo, capitulo aggregaretur; solis lituanis nobilibus ianua ad stallum canonicum patuit.

Cum itaque cleris et optimates catholici adlaborarent bono et profectui ecclesiae, advolarent in diocesim nostram vagi alienigenae: iudaei, germani etc, qui mercaturam et artificia e manibus indigenarum eripientes multos ad egestatem adduxerunt, et insuper lascivia huc usque apud nos ignota impietati subintroduxerunt mulierculas publicas, et prostitutionis seminatores fuerunt.

Pullulavit itaque et crevit corruptio pessima, quae omnium malorum flagellorumque Dei causa fuit et origo. Leges patriae tacebant, ipsae enim vigilabant super libertates nobilium-proh dolor, etiam ad interitum! Restiterunt idgenus nefariae turpitudines episcopi et capitulum prohibentes incolas suaे iuris dictioni subditos, ne quis eorum foeminas lascivas et suspectas in domum suam admitteret. In iurisdicita itaque famati magistratus civitatis silentibus serpebat perniciosa impetigo, donec tandem in sanguinem et medullas multorum irrepserit et adeo mentes posterorum perverterit, ut hodie ignominiosahaec et pestifera luxuria, qua malum necessiarum, imo lex naturae a nostris „liberis“ bestiarum naturae cultoribus usu et exercitatione colitur, anniuentibus legibus publicis ubique. Vae genti peccatrici!

Offensa maiestas divina diu non sustinuit. Etenim: a. 1610 die 1 Julii hora 8 ante meridiem, ut ferunt acta capituli, horrendum incendium retro monasterium fratrum minorum conventionalium (franciscanorum), ad ecclesiam B. Mariae V., exortum totam pene civitatem Vilensem cum notabili parte suburbanorum, nullis prorsus, tam sacris, quam profanis, publicis et privatis aedibus (S. Regia Maiestate et Seren. principe Ladislao summa cum animi acerbitate insipientibus) parcendo: miserum in modum, Deo ita permittente, afflixit et spatio octo horarum devoravit.“ Cum aedibus igne devorata sunt documenta et privilegia antiqua et metrica actorum consistorii Vilnensis. Spoliatis ab incendio incolis suis succurrebant episcopus et capitulum per diminutionem, vel defalcationem ad tempus tributi et census; imo et per concessionem platearum et arearum in usumfructum perpetuum; removendo tamen ab hoc nobiles et admittendo urbanos et plebeos; cum quibus omnis actus et consensus erat tutior. Eodem tempore motore eppo Tyszkiewicz cum adiutorio capi-

tuli et optimatum reaedificabatur eccl^a cathedralis et magnificentissime restaurata fuit.

Tamen horribili praemonitione minime edociti homines acatholici et malevoli continuos insidias contra ecclesiam catholicam struebant. Auctoritate et ingenio pp. Jesuitarum, tam in ambone, quam in cathedra: tam scriptis quam viva voce et virtutibus prostrati ac profligati novatores ad blasphemias et violentias publicas sese converterunt, contra templa, clerum et monachos arma direxerunt: sic in meridionali Polonia Stanislaus Stadnicki calvinista, cognomine diabolus, multas spoliavit ecclesias irridens leges et omnem humanitatem; et in Lituania violentis irrisio[n]ibus et aggressionibus ecclesiae et cultus publicus persequebantur: Vilnae moniales Bernardinas ad eccl. S. Michaelis, multis acerbitatibus, ignominia et etiam violentiis affecerunt. His non contenti etiam ipsam ecclesiam seu potius imaginem S. Michaelis in pariete portali depictam telis iactarunt. Quae violentiae animos catholicorum et praecipue inventutis studiose concitarunt, qui vim vi repellentes nonnullos calvinistas perturbarunt in eosque irruerunt.

Res delata fuit ad regem et ad comitia, calvinistae plangebant sese a catholicis oppressos; catholici autem omnes iniurias a novatoribus sibi illatas omnibus pro patulo ostendebant et praesertim de violenta profanatione imaginis S. Michaelis conqueabantur. Cum in comitiis calvinistae damnati essent indignatus Radziwillius Biržensis, calvinistarum confessor et tutor, minarum et violentiarum igne contra catholicos spirans, cruces ad aras et plateas in eius bonis a piis catholicis erectas evertit et profanavit. His permotus eppus Viln. Abraham Woyna comitia generalia et senatores catholicos ipsumque regem appellavit, seseque, etsi senio et morbo confectus esset, in comitia advehi pollicitus est „ut in sua persona Christum Dominum irrigum et conculcatum ostenderet“. Cum itaque in his comitiis

violentiae calvinistarum dilucidatae et probatae essent, Ladislaus IV die 26 Mai a. 1640 decretum promulgavit, quo violentias condemnabat et fanum calvinistarum, in confinio ecclesiae S. Michaelis positum, extra urbem eici praecepit.

Mandato regio calvinistae paruerunt; sed et maius odium inde in catholicos conceperunt, et in comitiis per suos senatores leges sibi favorabiles extorquere conabantur libertatem vero ecclesiae catholicae coartare, imo et tollere studebant. Cum aliquoties ad tribunal delata esset causa profanationis S. Viatici a sacerdote in via erepti et conculcati, tribunal libertatum vindex respondit: „causam esse Dei offensi, sitque Deus ipse eius iudex et d[omi]n[u]s redemptor“, et nihil in ea dixit, nec decrevit. Mirum ergo non est in hac legum interpretatione Radziwillium manu armata cum cohortis militum a. 1652, in festo Corporis Christi in processionem solemnem per plateas Vilnae celebratam, irruisse eo successu, ut cantores et populus dispersi, processio et celebritates interruptae sint. Et haec olim fuere.

Ex exurrexit Deus causae suae d[omi]n[u]s redemptor severus, surrexit tanquam potens crapulatus a vino, hinc et hinc effundens calicem irae suae: incitavit contra rempublicam hostes atrocissimos undique: a septentrione et oriente moscos, a meridie cosacos et tartaros ab occidente vero saevissimos suecos. Videbatur quasi ultimus dies appropinquans: tota republica igne et gladio spoliata, dissensiones et odia dilacerabant sinum eius; novatores regiminis catholicci inimici manus suas, duce Radziwillio, sueco dederunt.

Praevidens mala ingruentia eppus Tyszkiewicz a 1554 post Epiphaniam celebravit synodum dioecesanam (XI) in qua orationes ad Deum pro avertenda clade et contributiones in rempublicam commendaiae fuerunt. Interim milites patrii more consueto spoliabant dominia et bona ecclesiastica—donec eo-

rum vices tartari et cosaci Vilnam obsidentes suppleverunt.

In hac pressura tempore consulens sibi episcopum et capitulum Vilna exierunt, asportantes secum reliquias S. Casimiri, thesaurarium cathedralem et archivum. S. Reliquias eppus collocavit Rosanae ipse Montem regium petuit; capitulum vero commisit thesaurum prael. custodi Biallozor, qui Vilna eggrediens apud se retinuit clenodia, margarittas et supellecstile aureum, caetera vero vasa et utensilia argentea cuidam Iudycki per flumen Viliam ad extra evehenda commisit. Haec vasa, cum navigio veherentur a cosacis rapta, perierunt; retenta vero pretiosa a Bialozorio, partim ad aquirendam pecuniam pro rege exule et republica apud usurarios oppignorata, partim in loco secreto asservabatur.

Exulans capitulum in bona sua in Podlachiam reclinavit et primum in Braszewicziis commoravit, dein hostibus irruentibus Rosanae, Slonimi, Brestiae, Zyrowiciis etiam et Varsoviae sessiones suas celebravit. In his sessionibus non solum ferebat sanctiones de administratione bonorum suorum, sed et saluti dioecesis, reipublicae, episcopi et regis invigilat, dispersos colligebat et vacillantes in fide firmabat. Testis ruinarum et mortis, capitulum intrepidum et immortale fideliter astabat altari et throno. Defunctis episcopis eorum succesores eligebat, novaque membra aggregabat gremio suo; cum rege et episcopis exulis et archiepiscopis gnesnens. continuam communionem per legatos sustenbat; confratres suos, qui ad sueicas vel moscoviticas factiones transsissent, serua admonitione ad fidelitatem throno revocabat.

Primam sessionem suam Braszewicziis incipiens capitulum dicit: „In communi vindicis peccatorum Dei plaga super Poloni Lituaniique orbis universitatem extensa;... collegium Ven. capituli,... eversis, per nefariorum coniuratorum in excidium orthodoxae religionis hostium manum, aris et focis, domicilioque

proprio et loco sessionum suarum destitutum, dispersim exulare cogitur etc. In hoc exilio hospitium praebuit pulsis de suis sedibus: dec. smolensensi Obuchowiczio, suffraganeo alborus. Skuminowiczio; demum ipsummet egens a capitulo Cracoviensi sustentabatur.

Multa flagella subiit republica et dioecesis nostra tot ac tantorum hostium aggressione oppressa, sed et magna aspergit miracula Misericordiae divinae hostes profligantis pacemque et salutem reipublicae restituentis. Ad orbatam civitatem et ab hoste spoliatam primum revertitur capitulum miraturque cum horrore ecclesiam cathedralem ruinatam sordibus et cadaveribus plenam. Purgato et pro posse ordinato templo capitulum sessionem suam in capella S. Casimiri die 14 Junii 1662 instituit eamque his verbis inchoavit: „In nomine Ss. Trinitatis in honorem Dei parae Omniaque Sanctorum: post solutam non humanis viribus, sed antiquis brachii divini mirabilibus subvenientibus, ab obsidione, captivitate et abominatione moscovitica, civitatem et ecclesiam cathedralem Vilnensem: capitulum huiusee ecclesiae: Przeclawski decanus, Alexander Kotowicz scholasticus, Gothardus Tyzenhaus ep. Meton; Nicolaus Slupski official. gener. et vicarius in spirit. Mlynecki, Brzostowski, Girschi, Beynart, Eustach. Kotowicz etc. in capella D. Casimiri, quia locus per hostilem immanitatem sit ruinatus, congregatum“. Dein accessum fuit ad restaurationem ecclesiae, interim sacra in capella S. Casimiri coram miraculosa imagine B. Mariae Virg. Trocensi persolvebantur. Absoluta fabrica a. 1664 capitulum et cives vilnenses reducem regem Joannem Casimirum die 15 Mai, ac dein ingredientem eppum Biallozor (vide direct. 1904 a.) salutaverunt.

Etsi tota dioecesis ruinas deploraret, et per eam tanquam scintillae post incendium discurrent miltes sub specie saldi requirendi reliquias devastantes; tamen praesentia regis, epporum et optimatum spem

quandam futurorum prosperorum praecinebant. Sacerdotes et populus dispersi manu hostili, domos reventebantur reaedificabantque diruta templa Dei, et cum prae inopia ea erigere pristina magnificentia non potuerint, construebant casas et tuguria lignea stramine tecta. Super has ruinas et renascentes domos Domini visitationem canonicam inchoavit a. 1674 et persolvit archidiaconus capituli viln. eppus grationopol. Nicolas Slupski; ex documentis eius visitationis novimus ecclesias ruinatas a Suecis: Dorsuniszki, Rumszyszki, Punie, Źyżmory, Eiszyszki, Soły, Horodec, Mscibow Olkeniki, Źuprany; a Moscis vero et Tartaris: Soleczniki, Słonim, Kroszyn, Wojstom; Borysów, Rudeziolo; Bobr, Mohylów. Czausy, Czereja, Lepel, Głębokie, Dokszycy, Mejszagoła, Onikszy, Rudniki, Hermaniszki, Wawiorka, Wasiliszki, Iuszczolna, Źoludek, Kamionka, Jatwiesk, Mosty, Hoża, Hanuszyszki, Sumiliszki, Giegužyn, Dubinki; Zabrzezie; Pierszaje, Iwieniec, Naliboki, Iwje, Gieramony, Surwiliszki, Traby; Niestaniszki, Gierwiaty, Ikaźń, Pohost, Brasław, Postawy, Lawaryszki, Giedrojcie, Merez, Dolhinów, Ziembin, Krasne, Mołodeczno Horodziłowo Marków, Niemenczyn, Lida, Smorgonie, Repla, Źoludek, Jelna; Kiwatycze, Krewo, Grodno etc.

Hinc patet e serie 340 ecclesiarum parochialium, quae olim in nostra existebant dioecesi, ultra 70 ruinatae et combustae fuerunt a hostibus; quibus ruinis si accensueris ecclesias claustrales et monasteria, clades magna in propatulo erit. Hisce spoliationibus non solum imminuebatur gloria Dei, sed et profectus fidelium et pullulans iam a XVI s. progressus litterarius retroactus fuit; cum ecclesiis in cineribus iacebant et scholae, xenodochia et asylla pauperum. Malum hic non sustinuit, sed etiam in mores cleri et populi irrepsit, evertitque disciplinam veterum, multosque abusus genuit.

Quibus malis occurens ep. viln. Alexander Sapieha (v. dir. 1904) epistolis pastoralibus datis ad ele-

rum praecepit, ut ad implorandam opem divinam decantaretur psalmus: Deus refugium nostrum et virtus, et quota feria IV ieunaretur ab omnibus; in civitate vero Vilna feriis VI fierent processiones publicae ad capellam S. Casimiri ordinum regularium et quidem: praedicatorum, Franciscanorum, Carmelitarum et sic porro per vicissitudinem; dein a. 1669 die 11—13 Martii convocavit Synodus dioecesanam XII. Celebrata fuit haec synodus in reaedificata iam, sumptibus episcopi, capituli et praecipue praelatarum Benedicti Źuchorscii, Nicolai Slupscii et Simonis Mlyneccii, ecclesia cathedrali. Post sermones dictos a Nicola Shupski et Eustachio Kotowicz, episcopus omnes invitavit praesentes, ut quisque suum votum et placitum in refinendis vel reformandis usibus et moribus palam proferret, Quibus collatis statutum est.

- 1º Non licere s. missam in domibus privatis celebrare;
- 2º bannas ante martimonium ter promulgandas;
- 3 mulieres divertias, separatas et publice notorias consignare, easque pro lascivia ad forum ecclesiasticum citare;
- 4 parochos in parochia residere;
- 5 regularibus sacerdotibus pro excipiendis paschalibus confessionibus fidelium non uti;
- 6 concurrentes ad obtinenda beneficia examen subire teneri;
- 7 sermones funebrales ultra horam non protrahi, in iisdem non laudes defunctorum, sed doctrinam salutiferam pro vivis praedicare;
- 8 decanos ad rite munus suum obendum iuramentum praestare, et decanatum suum quoto anno, post festum Corporis Christi, visitare;
- 9 festa S. Adalberti et Georgii, si concurrerint cum hebdomada s., in dies non impeditos transferre;
- 10 raptore et usurpatore bonorum ecclesiasticorum: si ve sint clerici, sive saeculares excommunicationem episcopo reservatam incurrire. Eodem tempore primum Directorium, seu ordo divini officii, pro dioecesi vilnensi excussum fuit.

Inaudita mala tolerata singularia specimina gratitudinis in corde Lituanorum generunt, Etenim

gratissimus episcopus Biallozor „pro acceptis, in his turbulentissimis et fere desperatis reipublicae Poloniae et M. Ducatus Lituaniae temporibus, a Clementissimo Numine sempiterno beneficiis, ut ferunt acta capituli: praecipue provindicanda a barbarie foedi fragi hostis moschi metropoli civitate et ecclesia vilnensi: abominatione expurgata, in perennem gratitudinem et benignissimo Numini gratiarum actionem, in memoriam passionis D. Jesu Christi“ condidit Calvariam prope Vilnam in bonis episcopalibus Werki dictis.

Cura vero et studio piissimi cultoris Mariae eppi Nicolai Slupski vigore bullae Smi Pontificis a. 1671 introducta fuit in ecclesia cathedrali archiconfraternia Nominis Mariae, Reginae Poloniae, cui coronam tuendam commisit rex Joannes Casimirus. Sodalitiae huius nomina dederunt eaque in libro, hucusque conservato inscripserunt rex Michael Wisniewiecki eiusque uxor, dein Sapiehae, Pacii etc. dignitates et optimates regni, quorum seriem quoto anno, die Nominis Mariae, adimplent nomina cultorum Mariae praecipue e populo laborioso, quem Maria docet servare imitarique pia exempla suorum regum et patrum.

At conamina haec salutifera factionibus et agressionibus insolescentium quorundam nobilium, ignavia et tepiditate in conservanda disciplina ecclesiastica clericorum, ac demum contentionibus praelatorum turbata et sustenta fuerunt. Factiosi enim nobiles et cupiditate bonorum ecclesiasticorum hiantes in clerum irruerant et bona diripiebant; interim curati, haud raro e dignitatibus, longe a parochiis residentes nec ordini in ecclesia, nec moribus fidelium invigilabant—Jam Nicolaus Slupscius in visitatione ecclesiae Solensis, sub curatione Eppi Valachiae Rudziński tunc existentis sequentia refert: „Ecclesia per hostilem rabiem devastata et combusta needum erecta, in cuius loco temporalis szoppa po-

sita. Non sine maximo animi Nostri dolore reperimus in hac ecclesia crassissimos et detestandos contra divinam Maiestatem commissos errores. Invenimus cuim species sacramentales alias in parvula pyxide asservatas, alias in corporali, alias in ipso nudo cibori fundo iacentes, hinc et hinc dispersas per frusta et a tineis corrosas. Clavim a ciborio, curato sub tempus visitationis Nostrae absente, relicta sub cura unius simplicis rustici. Vidi mus fontem baptismalem absque clausura, ob putredinem iam foetentem; intus strophiola, quibus unctiones in baptisatis absterrit, iam putrefacta. Olea s. in turpibus lamineis vasculis absque attestatione. Metricas nobis praesentatas non tantum manus Nostrae subscriptione, sed nec honesti hominis tactu dignas, aliaque omnia inordinatissima.“ Multa invenit visitator laudabilia in dioecesi, sed et deplorabilia non pauca; et si ita tractarentur ecclesiae et mysteria divina, quid dicendum de incuria circa animarum salutem?

Cum itaque omnibus modis restauranda erat disciplina et prosequenda initia salutaria epporum Biallozorii et Sapiehae: post huius obitum lis inter capitulum et nominatum episcopum Viln. Stephanum Pac (vide dir. 1904) rem praepediebat multique abusus in mores fidelium impune irrepsere et tolerati sunt. Sic invaluit usus persecundi iudacos, praesertim cum S. Viaticum solemniter deportaretur; in hac occasione officialistae seu sacramentalistae aggrediebantur iudeos, eorum mensas nundinarias evertebant ipsosque iocis et opprobriis persecabantur.

Etsi a capitulo adhuc non plane receptus, neque lites sopitae fuissent, tamen plenus timoris Dei et curae pastoralis episcopus Pac a 1682 die 28 Septembr. dedit litteras pastorales, quibus prohibuit, ne huiusmodi scandalosae aggressiones in iudacos ultrius perpatrarentur, sed ut plateae a iudeis incolatae in deportatione s. Viatici evitarentur, iudeisque daretur signum percussione sonori campanulae, ut se-

se occultari possent. Aggresores vero bonorum ecclesiasticorum et cleri excommunicatione et interdictu fulminare non haesitavit. Sic Oginscum latinum Trocensem propter occisionem curati Wobolnicensis Szawlewiczii excommunicavit et totum decanatum Poniewiesensem interdictu perstrinxit; item et Grocholsicum quemdam cum 8 sociis propter invasionem armatam collegii Pp. Jesuitarum in villa Mysz, vulnerationem rectoris collegii asportacionemque sacrilegam Smi ex capella Staromyszensi, et alia facinora perpatrata, anathemate percusit; donec resipiscentes inducias et veniam Jesuitarum expostularunt.

Ad restaurandos vero mores in tota dioecesi renovandamque disciplinam ecclesiasticam a 1682 die 11 Februarii promulgavit epistolam pastoralem, quae vigorem synodalis obtinuit, per subsequentia concilia dioecesana recepta, et in decretalibus Smor pontificum pro nostra provincia, allegatur. In hacce epistola praecipit episcopus: 1 Neminem licere s. ordinibus initiari propter emolumendum temporale; sed propter servitium Dei suscipiendi sunt s. ordines. 2 Clericos ad IV minores accedentes obligatos esse latinum scire, legere et scribere; item et catechismum minorem ediscere; ad diaconatum recitationem breviarii et doctrinam de sacramentis et ritus, ad sacerdotium vero ampliorem scientiam requiri. 3 Promulgandas esse bannas in parochia originis eorum, qui statum clericalem aspirant, et praestanda testimonia parochorum vicinorum de non inventis obiectionibus contra eosdem aspirantes. 4 Sufficere aetatem 7 annorum ad suscipiendam primam tonsuram, 12 an. ad acolytatum, 22 ad subdiaconatum, 23 ad diaconatum et 25 inchoatum ad presbyteratum assequendum. 5 Interstitia 6 mensium inter ordinationes servanda, ad presbyteratum vero unius anni, nisi necessitas excuset; ordinationes recollectionibus per 10 diem praeveniendas; 6 Beneficiatos non ordinatos

intra sex menses ordinandos; ad assequenda beneficia requiri a concurrente pietatem, laboriositatem et respectum apud collatores. 7 Sm. in pyxide deanata intus et super corporali posita conservari et coram eo lampadem ardentem, aut candelam, saltem diebus dominicis et festivis, sustentari; 8 Reliquias sanctorum in loco decenti asservari nec novas sine licentia episcopi admitti, privatum eas et per partes abstulere sub poena excommunicationis prohiberi. 9 Populum diebus festiyis ab ebrietate et lascivia sustineri, eundem ad poenitentiam praesertim in ieiunio quadragesimali cohortari, per totum annum pericopas evangelii auditoribus exponi, orationes quotidianas cum symbolo, decalogo et V praeciptis ecclesiae ante missam maiorem cum populo recitari. 10 Nundinas diebus dominicis et festivis abolendas. 11 Statum animarum prope festum paschae confici in eoque non solum fideles, sed et haereticos, schismaticos, imo et mulieres lascivas, fures et id genus deviantes consignari, eorumque registrum ad episcopum deferri. 12 Confessiones in ecclesia excipi, ab accedentibus ad s. communionem arma deponi. 13 Abstineri a processione circa s. aquam sabbato maiori, evitari choreas et ludos circa arbores et rogos die nativitatis S. Joannis et quamcumque eum his participationem. 14 Tempore strenae (koleda) domos parochianorum a parochis visitari, parochos fideles de scientia cathechismi examinare, prae-monereque mulieres, ne infantes secum in lectum dormitoriae recipient—propter timorem suffocationis. 15. Clericos tonsuram et barbam tondere, crines oblongos vel plicatos (kosy) non nutrire, annulis sine privilegio non uti, vestibus nigri coloris indui; officialistas plures et levioris notae non admittere; coenas, commestiones saeculares, praesertim ubi plures fuerint mulieres, etiam si invitati fuerint, evitare; armis neque ipsos clericos, neque eorum famulos uti licere; 16 Sub poena excommunicationis evitari direptio-

nem derelictorum post clericum defunctum. 17 Non licitum esse concionatoribus uti aequivocis vel digressionibus certas personas laudentibus, item iocis, naeniis et fabulis miraculosis; sed verbis simplicibus populum fidelem ad poenitentiam et aversionem a peccatis concitari; 18 Quota dominica et festo die supplicationes coram S-mo decantari et orationes fieri pro papa, rege, pro pace et concordia principum.

Praedecessoris premens vestigia eppus Kotowicz ad firmandos mores et praecipue ad stabiendas certas leges et regulam sermonis s. institutionisque populi fidelis a. 1685 die 30—31 Septembri et 1 Octobris celebravit synodum dioecesanam et litteras pastorales in hac re ad clerum direxit; quae vix iam extant nostris temporibus. Ut autem doctrina catholica aptiori modo cordibus et mentibus fidelium inculcaretur idem episcopus vocatos a se Vilnam Missionarios (v. dir. 1904) in provinciam misit praedicare et instituere fideles in lege Domini. Idgenus missiones per aliquot hebdomades perdurantes sermonibus, confessionibus, sacra communione et celebritatibus persolutae, multum afferebant fructum in convertendis peccatoribus et a fide aberrantibus atque in stabiendis moribus et pietate catholica. Optimatus pietatis catholicae zelatores hasce missiones in suas parochias efflagitabant casque sumptibus suis sustentabant. Primae missiones Zyrmunis, Jewiae, Borysowiae, Bobri, Bialynicziis, Smorgonis etc. absolute fuerunt. Misionarii praeter opus apostolicum etiam et notariorum munus exercebant, strenue notabant mores et usus, virtutes et vitia incolarum, ubi praedicabant; proinde corum chronicae perquam utilles sunt, qua fontes historici, proindeque sedulo colligendae et custodiendae sunt. Cum morte eppi Sapiehae finitur prima periodus huiusc epochae clibanis atrocissimis et laboribus apostolicis redundantis; atque inter rerum adversitates semina et incrementa vitae catholicae: tam in stabiendis dogma-

tibus et praemovenda pietate et disciplina ecclesiastica, quam in erigendis scholis, et hospitalibus dilatandisque ordinibus et monasteriis: producentis. Initia infaustorum, fundamenta reipublicae et altaris conuentientia; et successus laborum ecclesiae fluctuantis nec se mergentis, quasi praesagia fuerunt: appropinquantium rerum faustarum et adversarum in republica ad finem vergente,—et novorum succuum detrimentorumque in ecclesia perpetuo duratura. Videbimus anno sequenti.

Mendae in libello anni praeteriti corrigendae: pag. 250 loco: initio XIII saeculi, lege: initio XIV saeculi; pag. 280, vers. 2, loco: se excitabatur lege: sciscitabatur.



ODMIANY KSIĘŻYCA NA 1906 R.

	Styczeń.	Luty.	Marzec.	Kwiecień.
	d. g. m.	d. g. m.	d. g. m.	d. g. m.
⌚ Ostatnia kwadra	4 10 2 4 w.	3 5 58 w.	4 1 32 w.	2 10 11 w.
● Nów	11 6 44 w.	10 9 32 r.	12 1 27 r.	10 5 41 w.
⌚ 1-sza kwadra . .	19 2 06 w.	18 11 3 r.	20 5 37 r.	18 8 42 w.
⌚ Pełnia	27 9 21 r.	25 9 52 w.	27 7 47 r.	25 3 45 w.
	Maj.	Czerwiec.	Lipiec.	Sierpień.
	d. g. m.	d. g. m.	d. g. m.	d. g. m.
⌚ Ostatnia kwadra	2 8 38 r.	—	—	—
● Nów	10 9 36 r.	9 0 41 r.	8 2 34 w.	7 3 2 r.
⌚ 1-sza kwadra . .	18 7 59 r.	16 3 54 w.	15 9 31 w.	14 2 17 r.
⌚ Nów	24 10 47 w.	23 6 2 r.	22 2 35 w.	21 1 11 r.
⌚ Ostatnia kwadra	31 9 9 w.	30 11 48 r.	30 4 22 r.	28 10 29 w.
	Wrzesień.	Październ.	Listopad.	Grudzień.
	d. g. m.	d. g. m.	d. g. m.	d. g. m.
● Nów	5 2 8 w.	5 0 18 r.	3 10 11 r.	2 8 20 w.
⌚ 1-sza kwadra . .	12 7 46 r.	11 3 25 w.	10 2 14 r.	9 4 39 w.
⌚ Pełnia	19 2 23 w.	19 6 21 r.	18 0 42 r.	17 8 19 w.
⌚ Ostatnia kwadra	27 5 14 w.	27 11 20 r.	26 3 20 r.	25 6 14 w.

WSCHÓD I ZACHÓD SŁOŃCA W 1906 ROKU.

Miesiąc i dzień	Wsch. o godz.	Zach. o godz.	Miesiąc i dzień	Wsch. o godz.	Zach. o godz.
Styczeń 1	8.08	4.11	Lipiec 2	3.56	8.15
" 8	8.01	4.22	" 9	4.05	8.06
" 15	7.52	4.35	" 16	4.15	7.56
" 22	7.41	4.48	" 23	4.26	7.45
" 29	7.28	5.01	" 30	4.37	7.31
Luty 5	7.14	5.15	Sierpień 6	4.49	7.17
" 12	7.00	5.28	" 14	5.01	7.02
" 19	6.44	5.41	" 20	5.12	6.46
" 26	6.28	5.54	" 27	5.24	6.30
Marzec 5	6.12	6.06	Wrzesień 3	5.36	6.13
" 12	5.55	6.18	" 10	5.47	5.57
" 19	5.39	6.31	" 17	5.59	5.40
" 26	5.22	6.43	" 24	6.11	5.24
Kwiecień 2	5.07	6.55	Październik 1	6.24	5.08
" 9	4.51	7.07	" 8	6.36	4.53
" 16	4.37	7.19	" 15	6.49	4.38
" 23	4.23	7.31	" 22	7.02	4.25
" 30	4.11	7.42	" 29	7.15	4.12
Maj 7	4.00	7.53	Listopad 5	7.28	4.02
" 14	3.51	8.03	" 12	7.40	3.54
" 21	3.45	8.12	" 19	7.51	3.48
" 28	3.40	8.18	" 26	8.00	3.44
Czerwiec 4	3.39	8.22	Grudzień 3	8.07	3.44
" 11	3.39	8.24	" 10	8.12	4.46
" 18	3.43	8.24	" 17	8.14	3.51
" 25	3.48	8.21	" 25	8.12	4.10

1906

13943

DIRECTORIUM

